J. JACOBÆI
CARMEN.









38

Jacob

Carmen
et ... Ar
etc. Reg

Det kgl.

Glückwu
Jacobs V
1589 in C
schlagen
in Holzsc

38

Jacob Jacobsen Wolf

Carmen in Nvptias . . . Jacobi VI. Scotiæ Regis et . . . Annæ . . . Friderici II. Daniæ Norvegiæ etc. Regis Filiæ. Hafniæ MDXC

Det kgl. Bibliotek. LN 1666 – 4°

Glückwunschgedicht anläßlich der Vermählung Jacobs VI. mit Prinzessin Anna am 23. November 1589 in Oslo, wo der Verfasser Rektor war. Aufgeschlagen das schottische und das dänische Wappen in Holzschnitt.

CARMEN IN NVPTIAS ILLVSTRISSIMI ET POTENTISSIMI PRINCIPIS ET DOMINI, DN. IACOBI VI. SCOTIÆ REGIS.

ET

SERENISS: HEROINÆ ANNÆ, LAVDATISSIMÆ MEMORIÆ FRIDERICI II. DANIÆ NORVEGIÆ &c. REGIS FILIÆ.

Scriptum
à
IACOBO IACOBÆO.
Ludimod: Asloënsi.

HAFNIÆ,
IMPRESSIT LAVRENTIVS
BENEDICTVS.
M. D. XC.





Psal: 128.

VXOR TVA SICVT VITIS FRVCTIFERA, IN LATERIBVS DOMVS TVÆ, FILII TVI, SICVT RAMI OLIVARVM, IN CIRCVITV MENSÆ TVÆ.

SERENISS: ET POTENTISS: DOMINO Dn. IACOBO VI. SCOTIÆ REGI.

ET

SERENISS: HEROINÆ ANNÆ, BEATISSIMÆ MEMORIÆ FRIDERICI II. DANIÆ NORVEGIÆ &c. REGIS FILIÆ.

INclyte REX ampli Scotorum gloria regni,
Et decus Arctöi spesq; salusq; soli.
Multis sæpè agitat variam sententia mentem,
Hosq; velut pinum verbere ventus agit.
Maxima regnorum quæ gloria, maxima plebis
Ornamenta, decus, vita, corona, salus.
Num sacrata levi constructa è marmore templa
Æthera quæ tangunt turribus alta suis?
Vel nitidæ fossis munitæ & montibus arces,
Quales magnanimis regibus esse solent?
Vel sanctæ leges, sociant quæ viscera regni,
Et proceres ipsos, indigenasq; fovent?
Sic animos torquent, sed eos, Rex optime, solus
Illa doces, hujjus dulcis imago rei.
Quid refero solus? nonne id tua regia conjux
Obtinet, aut pariter vendicat ANNA sibi?

Hanc certè laudem merita est cum rege marito,
Quâ nec privari nostra Thalia sinet.
Verum quid cunctor? quid sic ambagibus utor?
Quin potius retrò Musa reflectat iter?
Exprimat & paucis, quod prodidit antè, politis
Maxima quæ regnis gloria, quæq; salus?
Si libet annales Danorum inquirere Regum,
Et conferre simul secla vetusta novis:
Si libet illustrem scrutari ab origine stirpem
Ex proavis Danis, Rex IACOBE, tuam:
Si libet & nitidis virtutibus HEROINA
ANNA tuam penitus cernere progeniem;
Quæ sit vera salus lucens quæ gloria regnis
Hic labor è multis unicus expediet.
Regna licet decorent permulta, tamen decus unum
Est regnis, Regem Regibus esse satum.
Non tamen hoc satis est: sed prolem regna virilem
Continuè ex ducibus posse tenere suis.
O Regio felix igitur, rex cujus honestum
Connubij properans ardet inire thorum.
Quoq; torus fuerit fœcundior ipse jugalis,
Maior eo regnis venerit inde salus.
Hinc Reges uno coalescunt corpore multi:
Latiùs hinc fines tendit amicitia:

Hinc

Hinc manet inviolata suis pax publica regnis
Et placida colitur relligione DEVS.
Qvid multis? qvicqvid felici est nomine regnis,
Felix hoc uno nomine semper erit.
Quocircà Domino dicendæ ex pectore grates
Qvi danos tanta prosperitate beat.
Vidit enim multos gemmantia sceptra per annos
Continuè reges obtinuisse suos.
Felix illa dies, CHRISTI de nomine primo
Dania ubi primum regna regenda dedit:
Felix illa dies niveis signanda lapillis
Is subijt thalamos, quâ DOROTHEA, tuos.
Mascula jam dudum regali sangvine proles
Nulla fuit Danis, illa sed interijt.
Qvocircà antiqvûm series & linea Regum
Conciderat, finem mox habitura suum.
Sic DEVS omnipotens cum fert sua sancta voluntas
Transfert regna: alios constituitq; duces.
Qvid poterit qvæso nunc esse beatius illo?
Cum videas tantam surgere progeniem.
Vt patulos uno diffundit stipite ramos
Arbor dans fœtus fertilitate suos:
Vtq; aliis illa decerptos arbore ramos
Inserimus, fructus uberiusq; ferunt:

Sic qvoq; CHRISTIERNI fœcundo è corpore Regis,
Reges innumeros secula nostra vident:
Magnanimosq; Duces, Reginas atq; Ducissas
Qveis refluus famam terminat Oceanus.
Vt modò prætercam multos, Rex, omnibus unus
Sufficis, & conjux regia, SEXTE, tua.
Non, fateor, nostræ tanta est facundia lingvæ
Carmine qvæ cunctos concelebrare qveat.
Qvot memorat Fabios una de stirpe celebres
Roma, quot avgustos Marte togaq; Duces:
Tot reor excelso CHRISTIERNI sangvine Reges
Atq; Duces fortes dinumerare licet.
Ille etiam radix vestrum CHRISTIERNVS utriq;
Stemmatis & clari portio parsq; fuit.
Sed genus amborum vestrum cev scinditur uno
Sangvine, sic uno corpore junxit amor.
Vos pater omnipotens, uno qvi corpore binos
HEROAS junxit, servet & unanimes:
Nestoreos vivant Rex & Regina per annos
Fertilis & videant pignora connubij.
Et natos natorum, & qvi nascentur ab illis
Vt proavos priscos vidit uterq; suos
Vivite felices igitur, Rex inclyte & ANNA
ANNA decus patrij & magna corona soli.

Vivite

Viuite felices, soli sed viuite CHRISTO,
Qui dabit æternæ gaudia sortis: AMEN.

ἐτεόστιχον

ETIAM DIEM INITI MATRI-
MONII (IS ERAT XXIII. NOVEM-
bris, Anni, à reparatione salutis humanæ
1 5 8 9) complectens.

CLeMens LætVs erat, IaCobVs SeXtVs & Anna
ConnVbII CLaros, Vt petIere thoros.

6